

Numero partium extensivarum ( terraquearum ) indefinito constans materia seu subjectum totum, ut unum ex certo similium numero seu Genere, quatenus certo & peculiari modo dispositum est, ut certæ distinctæque Speciei vel Essentiæ (Lapidis) rationem & denominationem habeat. Recurrit igitur in hac positione Numerus tanquam subjectum antea purè spectatum; cui certus modus nunc imputatur, cum quo Numerus quasi concretus certam Essentiam (Lapidem) constituit.

§. 2. Ipse verò *Modus* (Lapideitas) præcisè nihil aliud est, quàm certa numeroque modalis constans cohæsiō, dispositio, mutua concernentia, s. relatio, & quidem continua, partium & essendi rationum omnium (quam vulgò dicuntur *Formam* & *Essentiam* formalem, *distinctam quidditatem*, uno verbo *Qualequidditatem* seu *Talequidditatem*) quæ Subjecto s. Materiæ (terraqueæ) tanquam indistinctæ quidditati contradistincta, alterum ipsius corporis propositi (Lapidis) Principium Essentiale, nempe distinctivum, exhibet: de quo frequentissima quæstio solet esse.

§. 3. Cognoscitur autem hæc distincta quidditas & forma vel *indicativè* tantum, si forma tota simul, sub uno certo nomine, quodcunque fuerit, indigitatur, (ut in Lapide, lapideitas;) vel *explicativè*, quoad omnia requisita, per Computationem, quando partium ipsarumque dispositionum, situum & motuum, rationes singulares, quibus tota forma constat, ordine computantur. h. e. quando partes quoad situm & motum, quatenus hoc ipso certam & determinatam proportionem inter se tenent, eatenus exponuntur, ipsæque rationes sigillatim non tantum ordine recensentur & enumerantur; sed & æstimantur, & modalis numero, quo gaudent inter se, definiuntur, v. g. *ut* artes Corporis (partes terraqueæ lapidis) *tantâ* vel *tantâ*, (nec majori nec minori) *ratione* sigillatim gaudeant, tum in semetipsis, singulæ secundum particulas & terminos suos; tum inter semetipsas, secundum concursum mutuum, binæ cum binis, in complexu totius; tum extra totum suum, omnes inter alia, circa se continuo disseminata, Consortii mundani corpora. Paucis, quod *tot* vel *tot* partes, *tantum* vel *tantum* situm & motum inter se simul cum aliis, aut seorsim ab aliis, sustineant, & aliorum exserant, ut *tantus* vel *tantus* effectus inde resultet.

§. 4.